DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOX. MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMIS VIRIS D. D. CONSILIARIO AC MEDICO REGIO ET DOCTORIBUS MEDICIS COLLEGII ROTHOMAGENSIS, PRO AGGREGATIONE, DISCUTIENDA.

An febri malignæ Alvi fluxu & Hæmorrhagiâ implicitæ venæ ſectio?

71.

I.

HOMINEM, ſi partium harmoniam ſpectes, gaudentis naturæ opus, ſi morborum iliadem, eorumdem ludibrium, dixeris. Vix auras captare cœpit, cum ipſum undique circumveniunt mala; ſuos quælibet ætas perpeſſura manes. Adhuc à matre rubentis pulmones tuſſis moleſta quatit, è ſuis erumpunt alveis dentes: quantâ dolorum acceſſione? creſcente puero, inteſtina pungunt lumbrici, quandòque erumpunt variolæ, interdùm veſicam reneſvè dilacerat carnifex calculus. Ne pubertatem incommodis, ventris torminibus, motibus ſpaſmodicis, epilepſia immunem credas? Suos etiam patitur adole[illegible] morbos, hæmoptyſim, phthiſim, icterum, vomitum, chloroſim. Accidit & juvenibus lateris, pulmonumvè inflammatio, apoplexia, carus, coma ſomnolentum. Senes tandem exercent rhumatiſmus, dolores arthritici, diſtillationes, viſû [illegible]è hebetudines. Adeò verum eſt totum hominem à primo ad ultimum uſque ſpiritum morborum mancipium; hi etenim ubicumque pullulantes, ſunt ipſiûs hoſtes infenſiſſimi & in corpore recondita nulli parcentis mortis germina. Verù[illegible]ra morborum genera frequentiùs nullum quàm febris, naturæ conamen, conſtante pulsûs & functionum læſione deſignatum, quo morbi expulſionem iſthæc ſagax & provida rerum natura omni ope molitur; ſævire cuilibet obviu[illegible]nen legitimam febris cauſam tot ac tantis caliginibus offuſam, vix ac ne vix quidem hactenùs erui potuiſſe. At quid mirum? Cùm per longiſſima temporum intervalla ignotus fluenti purpurei circuitus, obſcuram febrilis æſtû[illegible]fecerit notitiam. Tanta quippe febrem inter & ſanguinis circuitum connexio, ut iſtiûs inſcitia, alteriûs obſcuritatem importet. Quocircà ut veritas in re tam ardua evidentiùs eluceſcat, rejectis Veterum * circa calidum cordi i[illegible] fermentiſque ſuperfluis prorsùs & inanibus Recentiorum † facultatis imaginatricis figmentis, ſine quibus febrim cieri pro certo habendum; eandem & ex vitiato cruoris circuitu & ex depravato ſolidorum elatere placet deducere, [illegible], hominum vitæ ſummoperè pernicioſam, nimiùmque vulgatam appellare eam febris ſpeciem, quæ licet cum horrore, rigore, pulsûs vitiis, calore dein & æſtu ſuccedentibus & anxietatibus ſe prodat, alia tamen habet adjuncta & [illegible]ymptomata, quæ memoratis ſuapte vehementiâ parùm reſpondent, ſeu quæ majores, numero plures, urgentiores, *phlemonodæas*, *eryſipelatodes*, omnigenas & idcircò magis metuendas inflammationes portendunt, quàm eæ ſint, qu[illegible]n acutarum accidentibus præſagiuntur. Undè patet malignitatis nomen ideò huic febris generi à Majoribus impoſitum, quòd ea quibus ſtipatur ſymptomata ſæviora ſint, quàm indoles & eſſentia febris indicare videantur; metaphorâ ſump[illegible]is hominibus, qui ſub recti ſpecie decipiunt, ſeu qui bonitatis imaginem & expreſſa præ ſe ferunt virtutum lineamenta, licet malis imbuti moribus, nefanda quælibet facinora clanculùm patrare non erubeſcant. Nec in diverſis porrò febris [illegible] moratæ ſpeciebus recenſendis, nec in ejuſdem cauſis ab auctoribus traditis refellendis immorabimur, noſtram duntaxat ſententiam paucis exponere, proximamque febris malignæ cauſam, funeſtam ſcilicet *Diatheſim* ſanguinis præfervidi, aut craſſioris, viſcidi, glutinoſi, tardigradi, & inſtar aquarum ſtagnantium, in omnibus ferè capillaribus hærentis, eadem infarcientis, textum membranaceum canalium circumjectorum mollem & tenerum validè comprimentis, liberos fibrarum motricium motus impedientis, delicatulos turgidiorum vaſorum parietes frangentis, lacerantis, atque ideò numeroſa periculoſarum inflammationum genera excitantis, arguere fert animus; nec id mirum cuiquam videri debet, cùm certâ, fideli, repetitâque comprobatum maneat obſervatione, ex ſectionibus cadaverum iſtiuſmodi morbo pereuntium, eorum viſcera congeſtionibus *Gangrænoſis* affecta reperiri, ſolidiſque rationum momentis & experientiâ quotidianâ teſte, crapulæ, gulæ, vinoque deditos, quorum *Deus* venter eſt, febribus malignis magis obnoxios, ſobriè, moderatèque viventibus & boni ſucci alimentis veſcentibus, non aliam profectò ob cauſam quàm propter humorum corruptelam in ultimis vaſorum finibus commorantium.

* *Hipp. l. de priſc. med. p. 16. Gal. l. 6. epidem. com. 4. Alex. Trallian. c. 1. p. 314. Aet. c. 7. p. 191. Actuar. c. 1. p. 171. Rondel. Jonſton. Sennert. Holler.*

† *Willis. p. 45. t. 1. River. ref. p. 300. tom. 2. Mort. c. 1. p. 20. de febr. Bagliv. p. 50. de febr.*

I I.

ETENIM luxurioſam ciborum ingluviem, principatum in morbis id genus producendis, obtinere cenſemus, ubi ſiquidem edulia copioſiùs & affatim ingeruntur, ventriculi parietes gravantur, premuntur & ultra debitos limites extenduntur; hinc fibrarum motricium elateres ſufflaminantur & glandulæ ventriculi veluti ſuffocantur; hinc ſucci ſtomachi ſecretio ſiſtitur & prohibetur, undè fit ut alimenta probè digeri, teri ac dilui nequeant; hinc viſcidarum cruditatum, nonnunquam parùm à bilis acredine recedentium, in ventriculi & inteſtinorum intercapedinibus aggeſtarum *geneſis*, quarum tenuiora cum depravato chilo mixta & confuſa cruoris maſſam ſimili modo pervertendam & corrumpendam ingrediuntur; hinc denique quanta ſit & quàm metuenda ſanguinis proclivitas ad ſtagnationem in vaſis minoribus, & ibidem ad ſtimulandas fibras nerveas, ad villos motores convellendos, ad ignem concipiendum, ad ſolvendam teneriorum filamentorum continuitatem, ad effuſionem liquidorum inducendam, ad *ſtaſes* corruptivas efformandas, ſeu ad febrim mali moris ciendam vel leviter attendenti & vix *hygieæ* ſacris initiato datur intelligere. Ex his autem ſtupenda prorsùs & horrenda ſymptomatum febris malignitatem comitantium caterva facilè poteſt erui, quorum quidem, ex unanimi conſenſu cultorum *artis*, primas tenet inſignis virium lapſus, abſque cauſa manifeſta, nimirùm, quia nulli labores immodici, nulla copioſior evacuatio, vel inedia longior & diuturna, aliave hujuſmodi, ad robur conſumendum idonea præceſſerunt, ita ut vires non exhauſtæ, ſed oppreſſæ, & velut incumbenti pondere gravatæ videantur; quod præpeditum in fibras motrices liquidi ſpirituoſi fluxum, propter nervorum in origine preſſionem, quæ quidem ſanguini in cerebri clauſtris hærenti natalitia ſua debet, cohibitum, manifeſtè demonſtrat. Summoperè laborioſum, nec parùm impeditum per fines arteriarum cruoris tranſitum, hinc funeſtas hujuſce liquidi globuloſi moras & congeries propemodum ubique partium, ſubindèque canalium membraneorum violentas diſtentiones & idcircò funiculorum nerveorum graves ſtimulos, validaſque preſſiones apertiſſimè denuntiant *oſtocopos*, & frequentes ac ſtupendæ prorsùs anxietates febris malignæ non modò comites aſſidui, ſed & *prodromi*, quas mentis attonitæ tumultus, irrequietæ membrorum jactationes, interdùm ex imo pectore ducta ſuſpiria, necnon vultus inſigniter mutati, aliaque certiſſima metûs, mœroris & propemodùm deſperationis indicia, ſtatim ab invadente morbo & per totum illius curſum prodere conſueverunt. Ab iiſdem quoque cauſis oritur & pravam liquidi lentiùs progredientis & ad cordis ſinus tardiùs redeuntis indolem portendit natura pulsûs, qui quandoque parvus, languidus, interdùm à ſtatu naturali parùm recedens, præſertim ſub initiis obſervatur; nam creſcente ſeu invaleſcente malignitatis robore, pulſus à genuina integritate plurimùm deflectit, valdè celer & concitatus, quandoque vehemens, magnus, validuſque deprehenditur, ſiquidem ubi permulti tubuli capillares arterioſi propter hærentem & tenaciter impactum in extremis ſanguinem eundem aſſiduis contractionibus impulſum & indeſinenter appellentem admittere nequeunt, illum in aperta, liberaque collateralia vaſa divertere, brevius evadere circuitionis iter, ideòque ſanguinem celeriùs ad cor accedere, ſolito magis & frequentiùs ejuſdem parietes dilatari ac contrahi, ſubindèque pulſum celerem, concitatum, vehementem, magnum, validumque ſoboleſcere neceſſum eſt. Urinæ etiam inter initia ſanorum urinas æmulari videntur & haud rarò limpidæ, ſeu ſimpliciter aquoſæ, aut crudæ redduntur; cujus phænomeni rationem repetendam cenſemus à ſanguine lento, viſcido & ſtagnante, è cujus ſtrictiori compage facilè crudus & aquoſus humor exprimitur, qui quandoque per excretorios inteſtinorum meatus ductus alvi fluxum procreat. Ideò autem hujuſmodi lotium interdùm ſincerum perſtat, & impermixtum excernitur, quòd ob debiliorem cordis & arteriarum ſyſtolem leviter comprimatur, ſubigatur, & ad intimam cum reliquis inter ſe firmiter unitis fluenti purpurei particulis miſcelam adigi nequeat; aſt ubi morbus altiùs provehitur, tùm confuſa, turbida, rubenſque urina perſæpè rejicitur, & ſi prout aliquandò ſolet evenire, vergente ad finem ægritudine, genus id excrementi lividum, nigrum, & ſummoperè fœtens eliminetur, tùm gangrænam & fatum ultimum imminere augurari licet.

I I I.

PRÆTER ſymptomata ſuperiùs recenſita malignitatis indolem & energiam indicantia, alia iterùm plurima eaque ſtupenda varias humani corporis regiones infeſtantia non minus indigitantur. Quandoque cunctæ, nonnunquam duæ, rariùs unica ex hiſce regionibus *ſtaſibus phlegmonodeis* corripiuntur, aut earum oſtentant pericula; ſed quod non levi animadverſione dignum judicamus, cerebrum ob teneriorem & tortuoſum ejuſdem textum, thorace & imo ventre frequentiùs vel potentiùs obſidetur; hinc ſopor, ſeu contumax ad ſomnum propenſio, cum ſegnitie totius corporis miſeros febre malignâ detentos ferè ſemper opprimens, aurium ſibili, auditûs gravitates, caligines visûs, animi torpores, interdùm vigiliæ nimiam medullarium *emporii* fibrarum tenſionem vibrationemque incuſantes, quandoque conjunctum cum ſtupore delirium, ſed illud plerumque remiſſum, aut obſcurum emergit; ita ut ex levi quâdam manuum geſticulatione, ex profuſis citra ſenſum excrementis, & oculis fixis, trucibus, quandoque rubentibus & errabundis ſolummodò dignoſcatur; quæ quidem omnia accidere non poſſunt, quin ſanguinis motus in vaſculoſis & tortuoſis *encephali* anfractibus ſufflaminetur, impediatur ejuſdem circulus, aut vehementer perturbetur; hinc variis in locis obſtruuntur tractus medullares, & violentæ canalium membraneorum dilatationes eveniunt; undè fit ut ſubjecti vel circumpoſiti tubuli nervei validè comprimantur, vel potenter & inordinatè concutiantur, ſubindèque liquidi ſpirituoſi appulſus, ſecretio, transfluxus, egreſſus, curſus recurſuſque vel intercipiantur, aut mirè confundantur, vel inordinatè fiant, modò verò cum impetu perficiantur, ex quibus utut leviter introſpectis, fibrarum motricium tenſiones aut laxitates, preſſiones, gravantes capitis dolores, convulſiones, funeſti tremores, motus ſpaſmodici; ſoporis, *agrypniæ* aut delirii rationes facili arte poſſunt intelligi. Pectus & abdomen, inſtar ſupremæ regionis, ob ſanguinem fatales in cerebri *meandris* moras trahentem, nervoſum genus opprimentem, ſalutares auræ ſpirituoſæ irradiationes ſeu influxus in ſubditas partes intercipientem, aut cohibentem, haud abſimili ritu, functionibus ſuis pariter defutura, & ſummoperè metuendis inflammationibus corripienda nemo non videt; harum etenim haud obſcura præbent in thorace vel indicia vel auguria, ſuccuſſus frequentes & cordis anxietates, terrentes lipothymiæ, dyſpneæ ſuffocantes, aliaque id genus, quæ ſummum ſanguinis lentorem, viſciditatem nimiam, ſeu ad hærendum in ultimis flexuoſiſque vaſorum partium ſummè nobilium finibus aptitudinem, ſeu hujuſce liquidi purpurei ſimul & ſpirituoſi motus vel ſufflaminatos aut perturbatos, irregulares, ideòque ad inflammationes jam cuſas, vel proximè cudendas maximè proclives manifeſtant. Imum ventrem eodem quoque mali genere plecti arguunt oris amaritudines, graviſſima ciborum faſtidia, nauſeæ moleſtiſſimæ, omnigeni, fœtidiſſimique bilioſorum & glutinoſorum vomitus, præſertim cùm haud infrequenter febre malignâ tentati, bilem croceam, aut viridem, modò porraceam, nunc æruginoſam, aliàs lethaliter atram, ſummis cum anxietatibus eructent; illinc funeſti, luctuoſique ſingultus, immanes cardialgiæ, minaces meteoriſmi, quandoque diarrhœæ multiplices, nec minus horridæ, in quibus non tantùm bilioſa, glutinoſaque, ſed & mucoſa, cruenta, tum & oleoſa, verminoſa demùm, & olidiſſima ſæpe cum intenſis cruciatibus egeruntur. Denique ſitis inexplebilis, interdùm nulla, linguæ nigrities, aut ejuſdem ſiccitates, ariditates, aſperitates, ex quibus toties decantatæ ſanguinis exardeſcentiæ, acrimoniæ, aut craſſitudines, lentores, viſciditates, moræ, ſubindèque ſolidorum diſtenſiones, irritationes, ſolutiones, *uredines*, & conſequenter inflammationes in *Gangrænas* lethales, *ſiderationeſvè* citò terminandæ conjiciuntur.

IV.

JAM verò quemadmodum in internis, ſic pariter in exterioribus febris maligna maximè timendas furias concipit; hinc rigoris, horroris, & frigoris ſenſus exlex; nullumque prorsùs *typum* determinatum agnoſcens; ita ut pluries in die, & ferè quolibet morbi tempore, imò dum calor & æſtus in interioribus ſæviunt, ingruere videatur. Calor autem in id genus morbo, ad tactum non rarò lenis ac mediocris, ex adverſo nonnunquam in interraneis, ut in *Lypiria*, impensè viget, exteriùs ſolummodò mitis, intus verò adurens. Hîc & hæmorrhagias adjicere juvat, quæ ſi profuſæ fuerint, ſeu tenues plurimùm, ut in narium ſtillicidio, ſanguinem in extremis capillaribus præ nimia craſſitie morantem & aggeſtum, vaſaque tenuiſſima dilatantem, eademque diſrumpentem liquidò patefaciunt. Sudores verò febriles, rigori, calori communiter ſuccedere ſolitos, raró prorsùs in malignâ, prout in cœteris febrium ſpeciebus, certam ſequi legem animadvertes, cùm modò fundantur liberaliter, intereà tantùm ſubſudationes rorulentas accidere videas, nunc univerſales, modò particulares, uti capitis, colli, thoracis, &c. Nonnunquam calidi, quandoque frigidi, qui quidem omnium peſſimi. Dolores, rheumaticorum inſtar, mobiles & vagi, interdum fixi, ſeu immobiles hîc quoque recenſeri merentur, quippe qui ſuam pariter debent originem ſanguini moleculis durioribus vel craſſioribus ad liberum trajectum ineptis onuſto, & eapropter in ultimis vaſorum membranea corporis velamenta perreptantium finibus commoranti, vel ob ſummam quâ pollet acredinem vehementer irritanti eademque violenter diſtrahenti; unde dolores nunc tenſivi, quandoque gravantes, aliàs punctorii, vel deurentes ſoboleſcunt; quorum quidem mobilitas, inter initia, fluido nondùm ad inſignem craſſitiei gradum perducto, & idcircò repetitis arteriarum oſcillis, è loco quem primum occupavit dimovendo, mox alibi pro majori vel minori ſolidorum elateris infirmitate, vel robore faciliùs vel difficiliùs hæſuro, venit adſcribenda; ubi verò fixi ſunt & immobiles, nec ullis artibus à ſede quam pertinaciter inſederunt, poſſunt amoveri, tùm ſanè *phlogoſes* imminentes, aut jam factas vel confirmatas denuntiant. Denique corpus univerſum, interdùm in febre maligna maculis, *exanthematis*, puſtulis, *petechiis*, diverſi generis eruptionibus, ſanguinis & lymphæ vel acredinem vel craſſitiem, ſubindè moram in vaſis cutaneis & eorumdem meatuum dilatationem, ruptionem, effuſionem liquidorum & *Gangrænoſas* inflammationes indicantibus, veluti gemmaſcit, præcipuè ſi parotides, anthraces, aut bubones, emergant, tùm febris maligna peſſimæ indolis & ad *Myſoptocam*, ſeu peſtilentem proximè accedens judicatur. Etiamſi nullum febris malè moratæ ſymptoma *Pathognomonicum* deprehendatur, hunc tamen *proteum* vel ex adductorum ſuperiùs accidentium *ſyndrome*, vel ex eorumdem nonnullis duntaxat haud difficulter dignoſces, cùm unum & alterum ex memoratis plerumque ſufficiat, ut febris hæc *verſipellis*, *cane pejor*, & velut *ex ungue leo* maligna dijudicetur. Hominum generi infenſiſſimam id genus ægritudinem, eòque majus, quòd ſub mitis febris larva, ægrum, quem infeſtat, inopinatè plerumque jugulet, & urgentius diſcrimen portendere fugit neminem. Hinc ſumma ſanè requiritur in filiis *Artis* prudentia, ne vel ſpei ſalutaris, vel funeſtæ deſperationis certa nimis proferant auguria, & inexpectato confundantur eventu; cui ſiquidem in praxi febrium malignarum verſato non ſemel contingit, permultos id genus morbis correptos intueri propemodùm in agone, ſeu in mortis limine conſtitutos, nihilominùs ex improviſo velut divinitùs liberatos, nec ex adverſo pauciores, cum leviſſimis malignitatis, ſaltem ad ſpeciem, indiciis, certam penè ſalutis ſpem facientes, attamen inſperato ſævitiem ultimi fati ſubire coactos; verùm hæc licet permultis in caſibus ita ſe habeant, nihilominùs conſtat, quod juxta cauſarum indolem, & ſymptomatum vehementiam diverſi periculorum & ſpei gradus poſſint præſagiri. Nam quemadmodum ex partium ſolidarum laxitatibus, ex liquidorum inertia, ex viſciditate vel craſſitie nimia, aut ad motum ineptitudine impenſiùs multò, magiſque quàm ex rigiditate partium, ex ſanguinis effervescentiis, vel ex caloris exceſſu, ſeu celeriori fluidorum & ſolidorum motu metuendum eſt; ita & à ſudoribus frigidis magis quàm à calidis. *Sudor * frigidus in febre acutâ mortem ſubeſſe teſtatur.* Pingues, atræ, virides, & fœtidiſſimæ dejectiones certum & imminens portendunt exitium. *Si cui † febris initio, bilis atra ſursùm, deorsùmve exeat, mortiferè ægrotat.* Maculas demùm lividas, nigras, violaceas, plumbeas, retrocedentes, lethales quoque pronuntiamus. *Quæ § livent in corpore partes, mortem ſignificant brevi venturam.*

* *Hipp. Aph. 37. ſect. 4.*
† *Duret. in coac. Aph. 74. l. 1.*
§ *Idem Ap. 72. l. 1.*

V.

EX prædicta febris malignæ deſcriptione venit inferendum & haud difficulter viris attentis & *Artis* prudentibus intelligendum datur, præcipuam, ſeu urgentiorem indicationem ad curationem febris jam toties decantatæ adimplendam, eam eſſe nimirum, ut imminens inflammatio *eryſipelatodes*, aut *phlegmonodea* præcaveatur, vel ut jam facta reſolvatur; & idcircò pravam ſanguinis *Diatheſim*, quâ metuendum illud mali genus producitur, & fovetur, diligenter emendari decet, & radicitùs evelli. Cum autem ex prælibatis conſtet hujuſmodi conſtitutionem in aptitudine æſtuantis ſanguinis ad hærendum in minoribus vaſis, & urendum textum ſolidorum, ſeu in ejuſdem viſciditate, aut craſſitie nimiâ, ratione cujus immoratur & obſtruit, conſiſtere; ſequitur evidenter omni operâ compeſcendum ſanguinis orgaſmum, & ſummam ejuſdem acrimoniam propter quam irritat, calefacit, urit & inflammat, mitigandam & attemperandam, ſeu purpureum humorem craſſum dividendum, aut diluendum, viſcidum, glutinoſum & impactum reſolvendum, incidendum, exciendum[illegible]que. Coercendis autem cruoris excandeſcentiis communiter ſatisfacere conſuevimus, diætâ tenui, leniente & frigefaciente, venæ Sectionum auxiliis, modò in *baſilica*, ut imminutâ cruoris mole, ac proindè repreſſo ejuſdem expanſivo mo[illegible]ogreſſivus reddatur, vaſaque nimis tenſa laxentur; nunc verò in *Saphena* celebrandarum, ſi acerbis capitis doloribus perennè crucietur æger, aut imminens, aut præſens ſit delirium, ut factâ effervescentis fluenti purpurei revulſione [illegible] medullarium *emporii* fibrarum rigiditas, nimiaque tenſio. Intereà & laxantia enemata parcâ doſi injici debent, ut liberatis à ſordibus inteſtinis ſanguis per inferiora faciliùs decurrat, caloris & viſcerum æſtûs vehementia retundatur [illegible]dum *Ptiſanis* refrigerantibus * *Julepis* acidulis, *emulſionibus* incraſſantibus, imo & blandis *Narcoticis*, quæ quidem omnia juxta naturam & vires indicationum ritè intermixta non modò cruorem immaniter rarefactum compeſc[illegible]am quâ pollet acredinem leniunt, mitigant, & attemperant. Jam verò quod ſpectat ad dividendum ſanguinem craſſum, ſeu viſcidum, glutinoſum & impactum reſolvendum, excutiendumque, in uſum veniunt ſanguinis miſſione[illegible]*tomia* ſemel aut bis intra breviſſimum tempus celebrata in brachio, vel malleolo, ſi ſopor, (cui & diſcutiendo non parùm proſunt admotæ *cucurbitulæ*) ægrum continuò obſideat, majorem afferat utilitatem, & efficaci [illegible] prorsùs ne minimâ quidem vel morâ factâ, fidelibus * peritiſſimorum in *arte* virorum obſervationibus & in primis penè infinitis *colendiſſimi* † *patroni*, ſævam ex *Occitania* & *Provincia* acerrimè, nec minùs feliciter depellentis pe[illegible]nnixi *emeticum*, ſeu *catharticum* ad humores crudos, glutinoſos, putridos, tenaces, in fundo ventriculi congeſtos, aut in inteſtinorum cavis nidulantes, aut eorumdem parietibus impactos excutiendos & evacuandos aptiſſimum non [illegible], & vomitum exindè concitatum magnâ tepidæ copiâ, conſtanter adjuvare conſueſcimus. Interim & inter initia plurimùm confert *catharticis* & *emeticis* clyſmatum emollientium, diluentium, & leniter aperientium ptiſanarum uſum aſſidu[illegible]ſum & liberalem per totum morbi curriculum præmitti, vel intermiſceri, ut non modò morbida materies ventriculi & inteſtinorum parietibus tenaciter infixa fluidior & medicamentis magis obſequioſa reddatur, aut efferata nimis reprimatu[illegible] & fluidum purpureum craſſum, aut glutinoſum paulatim incidatur, cui quidem pariter ſcopo aſſequendo, juſcula leniter aperientia mirè conducunt. Aſt ſi fluxus alvi ſymptomaticus, debitoſque limites excedens vires jam oppreſſas exhaurire videatur, *cathaticorum* adminiſtrationi ſuperſedendum, tum & ad *alexiteria* viribus refocillandis non inepta recurrendum eſt. Sin autem quædam ſudoris aut madoris univerſalis indicia cum æſtûs febrilis remiſſione ſe prodant, tum ſudorifica aut diaphoreſim moventia, juxta illud adagium, (*quò natura vergit, eò tendere oportet*) miro prorſus & feliciſſimo cum exitu, aut ſaltem inſigni cum levamine exhibentur. Imò & febrifuga in remiſſionibus exhibita, mira præſtare nemo non intelligit. Ubi tamen inter tot ac tanta auxiliorum genera, iterum atque iterum probè venit advertendum, ſanguinis miſſione nihil convenientius, utilius, & efficacius excogitari poſſe, cujus ope vaſa deplentur, fluidorum arterioſorum & venoſorum copia minuitur, vaſorum ea continentium parietes multò minùs comprimuntur, unde fit ut eorumdem fibræ motrices, hac valida preſſione liberatæ, veluti reſurgant & canalium elateres facti vegetiores, oblatam aſſiduò, circulantem, imminutamque fluidi molem faciliùs molant, atterant, & impellant, atque ita quod craſſum eſt, ſpiſſum & glutinoſum continuò dividitur, obſtructum reſeratur, impactum excutitur; ſicque liberæ & expeditæ fiunt circulationis ſemitæ. Quid plura? cum ſuperiùs allata rationum pondera ſatis ſuperque evincant phlebotomiâ * vel pluries iterandâ, ſi vires patiantur, vehementem cruoris æſtum reprimi, vel ejuſdem craſſitiem dividi, aut viſciditatem incidi, conſtanteſque præbeant obſervationes hujuſmodi præſidio, anxietates, vigilias, deliria diſcuti, membrorum ſubſultus tolli, *leipopſychias* abigi, ſopores, ac ſenſuum hebetudines removeri, animum erigi, corpus expeditius fieri, vires excitari, cutis eruptiones † ad feliciorem exitum perduci, dolores ſedari, alvi fluxum & hæmorrhagiam ſiſti, aut ſaltem minui, reliquias deleteriæ materiei expelli, febrem extingui, ægrotantes demùm ab *orci* faucibus eripi; legitima inde concluſio.

* *Foreſt. obſervat. de Febr. Malig. & Peſtil.*

* *River. obſerv. 87. centur. 2. Foreſt. obſer.*
† *Chicoyneau regi à conſiliis, & ejuſdem archiatri.*

* *River. obſerv. 34. centur. 2.*
† *River. Prax. med. l. 17. ſect. 3. c. 1. ſeu obſerv. 43. centur. 1. Idem obſerv. 12. morb. infreq.*

Ergo febri malignæ Alvi fluxu & Hæmorrhagiâ implicitæ venæ ſectio.

ASSERTIONES.

Inflammatoriis morbis phlebotomia.
Ægrotantibus imaginariis idearum diverſitas.
Scirrhoſis viſcerum obſtructionibus martialia.
Empyemati operatio chirurgica.

PROBLEMATA.

An medicaminum actio à ſalibus?
An hydropi paracenteſis?
An epilepſiæ aperientia?
An ileo hydrargyrum?

PARADOXA.

Caro non ſemper emeticum.
Syncope laboranti venæ ſectio nonnunquam prodeſt.
Catharro bechica incidentia interdum nocent.
Vomitus vomitu quandoque curatur.

Proponebat Rothomagi NICOLAUS GERVAIS DESLONCHAMPS, *Cadomæus, Univerſitatis Monſpelienſis Doctor Medicus, diebus triceſimâ & triceſimâ primâ menſis Julii, A. R. S. H. M. DCCXXXII. ab hora ſecunda ad Veſperam.*

IN AULA CARMELITARUM.